

præsenti ira exardescens, vel vindicta, et rancore erga inimicum obvium, vel alia ex causa inordinate commotus alterum ad pugnam provocat, et arreptis armis statim congreditur cum illo. Ratio est, quia hæc pugna non fit ex conducto, nec statuto loco, et tempore; consequenter non est verum duellum, sed potius rixa, et provocatio ad illam. Pignatelli, loc. cit.

11. *Nec qui in loco ad duellum inepto rixam inchoantes provocant foras, et sine morali intervallo, durante calore iræ statim congrediuntur.* — Infertur secundo, pariter non committi verum duellum, nec pœnas duellantium contrahi ab illis, qui in loco ad pugnam minus apto, v. g. in Ecclesia, in principis, aut magnatis residentia, vel etiam in domo, aut domus hypocausto privato contendere, vel rixari inchoant, et unus alterum sine, vel cum determinatione certi loci, plateæ v. g. vel gratis provocat dicendo v. g. Veni foras, vel exeamus, et pugnemus gladio; aut egredere mecum in plateam, vel in pratum, etc., ita tamen, ut durante calore iracundiæ aut vindictæ, nullo morali intervallo interveniente statim ad locum pugnae progrediuntur, et dimicent. Pignatelli, cit., tom. IX, *Consult.* 88, n. 87. Riccius, in *Praxi rer. for. ecclesiast. Decis.* 634. König, h. t. num. 10. Ratio est, quia si provocatio et pugna in uno continuo, ex subdito iræ calore procedunt, non sunt duæ, sed una moraliter actio, nec videntur esse pugna ex conducto, et statuto tempore, conpotius sequenter nec duellum proprie dictum, sed rixa.

12. *Requiritur insuper, ut fiat armis, et modis periculum mortis inducentibus.* — Tertio ad duellum proprie dictum requiritur, ut fiat, vel instituat cum periculo vitæ, seu tali pugnandi modo, et armorum genere, ut duellantibus periculum vitæ imminet. Pignatelli loc. cit., num. 92. Diana, p. III, tr. VI, *Miscell.*, 2, resol. 1, et p. VII, tr. XI, *Miscell.*, 2, resol. 44, num. 8. Filiuccius, tr. XV, cap. v, q. 5, num. 107, et alii. Ratio est, quia duellum sub tam gravibus pœnis prohibetur ob grave periculum mortis, mutilationis, aut vulneris, indeque subsequentis ruinæ animarum, uti satis colligitur ex c. 1, de *Torneam.* et textu concil. Trident., sess. 25, de *reform.*, cap. XIX, ibi: Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur; et c. 1, h. t. ibi: Unde

mortes hominum, et animarum pericula sæpe proveniant.

13. *Unde certamen pugnis initum non subiacet pœnis.* — Infertur non esse duellum proprie dictum, et pœnis subjectum, si fit provocatio ad certamen solis pugnis, virga, vel levi baculo ineundum, etsi mors per accidens sequatur.

14. *Et secundum Pignatelli nec utrum duellum quod ex prævia insinuatione, vel conventionione caret omni periculo vitæ.* — Infertur ulterius Pignatelli, loc. cit., etiam illos verum duellum non committere, nec pœnis duellantium subiacere, qui non animo offendendi, sed honoris defendendi provocant, vel provocati comparent, etiamsi ex conducto; et statuto tempore, ac loco ad pugnam veniant, morali tamen cum certitudine, quod nullus eorum aliquam offensam sit passurus, conventionione, vel insinuatione mutuo desuper prius facta.

15. *Quæ quidem doctrina controversiam.* — Verum hanc Pignatelli opinionem alii rejiciunt, eo quod videatur esse contra expressum textum Clementis VIII in cit. Constitutione *Illius vices*, ubi § 5, expresse statuitur: Necnon iisdem pœnis, decreto, et constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sunt de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit.

16. *Cui respondetur.* — Verum respondere potest Pignatelli, hoc textum tantum comprehendere illos, qui quidem similibus cum pactionibus animo tamen offendendi, vel saltem sine pacto vel intentione mutua de non lædendo invicem insinuata congrediuntur, consequenter incerti sunt, an non unus ex determinatis ictibus lethalis secuturus sit. Non vero comprehendere illos, qui de intentione invicem insinuata præcise honorem defendere, indeque aliquos ictus simulare, nullo modo autem invicem lædere volunt; de quibus solis ipse loquitur, indeque sententiam suam probabiliorum censet pro foro interno. Nam quod in foro externo, etiam tales pœnis duellantium subiaceant, ipsemet fatetur Pignatelli loc. cit. quia forus externus judicat secundum externa, quantumvis interne aliud intendatur. Num vero per hoc satis solvatur textus Clementis VIII prudentiori iudicio relinquitur.

17. *Et ostenditur, doctrinam illam, si probabilis est, in praxi esse summe favorabilem pro militibus.* — Cæterum si hæc Pignatelli

sententia revera probabilis est, prout eam ipse judicat, imo pro probabiliori habet, in praxi multum servit, et militibus, eorumque officialibus et ducibus valde favorabilis est, utpote qui non raro ad duellum provocare, vel oblatum acceptare pro conservando suo honore necessario debent; cum (ut aiunt) alias tanquam timidi in exercitu despicerentur, vel nullam amplius paritionem haberent; his inquam, favorabilis est, utpote qui saltem communicata mutua intentione non lædendi pro conservando honore duellum acceptare, vel ad illud provocare possent.

18. *Spectatores duelli quomodo immunes sint a pœnis?* — Quæritur III. An, et ex quibus causis licitum, vel saltem a pœnis immune sit duellum? Ante responsionem notandum, variis ex causis, potissimum vero ex sequentibus fieri duella. Primo pro defendenda vita. 2. Pro defendendis bonis fortunæ. 3. Pro defendendo honore et fama. 4. Pro ostendenda audacia viribus, animositate, arte duellandi, etc. 5. Ex vindicta ob injuriam acceptam. 6. Ex odio et rancore. 7. Pro dirimento bello. 8. Pro indaganda veritate, vel innocentia. De quibus singulis ponemus conclusiones. Hinc:

19. *Licitum est offerre, et acceptare duellum pro necessaria defensione vitæ et membrorum.* — Resp. I. Pro necessaria defensione vitæ, seu si mors, vel periculum illius aliter vitari non potest, licitum est acceptare duellum, imo et provocare ad illud: v. g. Si quis ab inimico vel adversario suo vel alio quodam ita adigeretur: vel duellum more consueto mecum ini, vel illico te occidam; aut certe per alios meos brevi te occidi faciam; potest talis duellum utique acceptare, quin offerre illud, si aliter vitæ periculum vitare nequit, uti vitare non posse videtur, si aut fugere non potest aut fugiens se salvare nequit, et accusatione apud superiorem se nil efficere cognoscit, etc. Mastrius disp. 11, n. 113. Lessius lib. II, de I. et I. cap. IX, n. 8 et n. 49. Pignatelli tom. IV, *Consult.* 88, n. 36. Cum communi. Ratio est, quia in tali casu offerre, vel acceptare duellum, nil aliud est, quam necessaria defensio vitæ, quæ omni jure licita est.

20. *Et bonorum fortunæ magni momenti.* — Resp. II. Pariter licitum est acceptare duellum, vel offerre illud pro defensione rerum fortunæ magni momenti, si alia via conservari aut recuperari non possunt Cas-

tro Palao tr. 6, disp. 5, pun. 7, num. 9. Sanchez lib. II, *Moral.* disp. 39, n. 8. Lessius de *Jur. et Just.* lib. II, cap. IX, dub. 8, n. 49. Valent. 2, 2, disp. 3, q. 17, pun. 1. *¶ Talis autem casus.* Ratio est, quia, si licet pro conservatione bonorum fortunæ magni momenti servato moderamine inculpatae tutelæ occidere iniquum aggressorem per dicta, et probata tit. XII, a n. 138. Non apparet, cur non liceat, pro eadem necessaria conservatione cum iniquo aggressore vel aggressionem minitante duellare; præsertim cum rationes ibidem allegatae etiam hic militent.

21. *Ponitur et solvitur objectio.* — Nec refert, quod duellum offerens, vel acceptans exponat se periculo vitæ, quæ utique tanquam majus bonum illicitæ postponitur iacturæ temporalium. Nam contra est, quod talis absolute non postponat vitam bonis fortunæ, neque propter hæc absolute eligat, ad evitandum certum periculum, vel certam iacturam bonorum temporalium magni momenti, quod etiam in multis aliis casibus licite fieri cernimus. Palao, ubi supra.

22. *Speculative loquendo etiam pro necessaria defensione famæ et honoris licitum est duellare.* — Resp. III. Quamvis speculative loquendo licitum videatur, pro defendenda fama, et honore acceptare, vel etiam offerre duellum, quando videlicet fama et honor aliter defendi non potest; tamen practice loquendo, ordinarie est illicitum, ac pœnis juris subjectum. Prima pars, videlicet, quod liceat, docetur a Castro Palao tr. 6 disp. 5, pun. 7, n. 9. Sanchez, lib. II, *Moral.* disp. 39, n. 8. Lessius, Valentia et Diana. Ratio est; quia non videtur prohibitum ratione homicidii, vel injuriæ alterius; nec ratione periculi vitæ propriæ, quæ utpote majus bonum quam fama postponi alias non deberet; ergo. Non ratione alterius; quia licitum est, servato moderamine inculpatae tutelæ, seu, si alia via defensionis non superest, pro defensione famæ et honoris occidere injustum aggressorem, juxta plurimos doctores, tit. XII de *Homicidio* a nu. 143, allegatos. Nec ratione periculi vitæ propriæ: quia (uti supra jam dictum) in simili casu offerens, vel acceptans duellum vitam non postponit famæ, nec pro hac conservanda periculum vitæ absolute eligit, sed dubium duntaxat periculum vitæ propriæ, tanquam minus malum eligit, ad evitandam certam iacturam, vel saltem cer-

tum periculum famæ; uti respondent doctores citati.

23. *Practice vero loquendo ordinarie illicitum, et pœnis subjectum est.* — Secunda pars, quod in praxi id ordinarie illicitum sit, novissime merito docet Pignatelli Tom. IX. *Consult.* 88, nu. 38, et in re ipsa omnes. Ratio est, quia ordinarie loquendo, in praxi acceptio, vel oblatio duelli vel non est necessaria, vel non est quadrans medium defendendi famam et honorem; quod tamen utrumque requiritur, ut sit licitum; cum doctores communiter fateantur, illicitum esse offerre, vel acceptare duellum pro defendenda fama, quando ad hunc finem vel non servit, vel si serviret quidem, tamen necessarium non est, existentibus ad manum aliis justis, et licitis mediis pro eodem fine sufficientibus.

24. *Quia nec acceptatio duelli, nec oblatio illius necessarium medium est pro tuenda fama et honore. Praxis cum reputatione recusandi duellum.* — Et quidem, quod ordinarie loquendo in praxi necessarium non sit pro tuenda fama et honore acceptare duellum oblatum, patet; tum quia recusando illud, ordinarie nullus aliquam jacturam in fama et honore, nec dedecus patitur, etsi, ut fieri solet, his, aut similibus verbis provocetur: Si es honestus vir, vel si egregius aut cordatus miles, vel genuinus nobilis es: vel si non es talis vel talis, etc., pugna necum gladio, aut globo; vel tandiu es talis, etc.; vel habeo te pro tali, etc., donec mecum duellum ineas, etc. Quia hujusmodi verba, et injuriæ famam, et honorem honesti viri vel non lædunt, vel, si lædere videntur, facile averti possunt alia via, respondendo, v. g. Sum et manabo honestus vir, nobilis, etc., etsi nullum tecum committam duellum; quod recuso, non quia te timeo, sed quia illud jure divino et humano prohibitum scio: quod autem te non timeam, sed cordatus existam, in opere ostendam, quando tu, vel alius me, ubique tandem aggredi tentaveris: vel, injurias, quasi nisi duellum acceperem, mihi irrogas, vel irrogatas vis, rideo, quia eas mihi minime præjudicare scio: idem enim est ac si dicis si es honestus, cordatus vir, nobilis, egregius miles, etc. Vade mecum ad rapinam, ad furandum, ad adulterandum, vel habeo te pro tali, et tali; vel eris talis, nisi rucum ad rapinam, furandum, fornicandum venias: ac si dicas; nisi mecum duellum

ineas; cum istud æque ac illud divino et humano jure sit prohibitum: cujusmodi responsiones a multis illustribus, et militaribus magna cum gloria eorundem datæ sunt.

25. *Ad evadendam notam timiditatis non licet acceptare duellum.* — Confirmatur: si esset necessarium acceptare duellum, pro tuenda fama et honore, ideo potissimum esset, ne recusans præsertim equestris, nobilis, vel miles contrahat notam viri timidi, aut minus magnanimi, vel cordati, atqui ex hac causa non licet acceptare duellum; cum Alexander VII, inter alias etiam sequentem propositionem damnarit: Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Accedit, quod, uti ex dictis patet, talis recusans apud vulgares duntaxat, quorum æstimatio, vel vituperium non curandum, minime vero apud bonos et prudentes contrahat timiditatis notam, et hanc etiam apud vulgares facile avertere possit respondendo, ut supra.

26. *Duellum offerre non est necessarium pro tuenda fama et honore.* — Probatur nunc etiam, quod ordinarie loquendo necessarium non sit pro tuenda fama et honore offerre duellum; quia si hoc necessarium esset, potissimum esset ob injuriam ab altero acceptam; cum alia causa vix excogitari valeat; atqui propterea necessarium non est; tum quia ordinarie loquendo alia via fieri potest injuriæ reparatio; videlicet vel legitima accusatione apud judicem, ad quem finem conceditur in jure actio injuriarum § *In summa.* § *Instit. de Injur.*, vel per medium retortionis, quo diluitur omnis macula ex verbis injuriosis illata; quod medium ipso jure conceditur l. *Qui cum major.* 14. § *Si libertas.* 6. ff. *de Bon. libert.* et l. *Quæ omnia, de Procurat.* et datur etiam contra absentem, cum sufficienter adhibeatur, si fit, quamprimum fieri potest, arg. l. 2, § *confestim autem.* ff. *ad S. C. Tertul.* et l. *Annus ff. de Calum.* cum Concordantiis. Accedit, quod propria auctoritate privata sumere vindictam, medium illicitum sit juxta dicenda infra n. 37.

27. *Nec utile, vel conducens.* — Probatur ulterius, quod nec quadrans seu utile medium sit pro tuenda fama et honore, offerre, vel acceptare duellum. Tam offerens, quam acceptans duellum contrahit maculam perpetuæ infamiæ, juxta constitutiones Pontificias, et concilium Tridentinum Sess. 25, de

*Reform.* cap. xix; ergo non pro tuenda, sed perdenda fama servit.

28. *Solvuntur objectiones.* — Dicitur: Constitutiones Pontificiæ quoad poenam infamiæ in his partibus non sunt receptæ; ergo pro tuenda fama licite servire poterit duellum. Resp. transmissio antecedente, negando consequentiam; quia, etsi dato non concessio, duellum pro tuenda fama utile esset, tamen non necessarium, consequenter nec licitum foret, cum juxta dicta a n. 24, ordinarie loquendo semper alia media eandem tuendi adessent.

29. *Affertur praxis, vel corruptela Germaniæ duellandi pro tuendo honore.* — Instabis: Dantur plures casus, in quibus pro tuenda fama et honore oblatio, et acceptatio duelli absolute necessaria est; ergo saltem in his casibus licitum erit illud offerre, vel acceptare. Probatur antecedens frequenti praxi Germaniæ, ubi, uti refertur, si inter Milites, vel militares officiales, aut belli duces unus alterum verbis injuriis afficit, vel facto injuriam infert, et offensus offendentem ad duellum non provocaret, talis ab aliis adeo despectus et abjectus haberetur, ut nullus cum eo amplius militaret, nec aliquis miles eidem, si officialis esset, amplius pareret, etiamsi offensus alia via satisfactionem pro injuria habere posset. Idem fieret, parique cum despectu, et objectionis effectu haberetur, si quis ab alio ex quacunque causa ad duellum provocatus non compareret, ipsis primariis belli ducibus, in his casibus non tantum non punientibus, sed etiam concedentibus, imo ut fiat duellum, urgentibus etiam privatione officii militaris.

30. *Et respondetur, quando licitum sit, et quando non.* — Ad hanc instantiam respondetur, credibile non esse, rem se ita habere, uti casus referuntur; si tamen pessima hæc praxis seu corruptela in aliqua regione revera existeret; respondetur, gravissime imprimis peccare reges, et principes, atque belli duces, qui, dum possunt, similem praxin, vel etiam privata hujusmodi duella tolerant, et multo magis qui positive concedunt, vel, ut fiant, urgent, juxta dicta n. 7.

31. Illos vero, qui in hujusmodi casibus ad duellum offerendum, vel acceptandum ita necessitantur, et coarctantur, ut nisi offerant, vel acceptent, tanquam formidolosi, timidi, abjecti, et ad officia militaria inepti haberentur, indeque officio, quo actu fruun-

tur, seque, et suos sustentant, privarentur, vel promotionis, alias sibi debite, ac premere, spe perpetuo carere deberent; illos, inquam, in hujusmodi casu et culpa, et poena vacare, sive offerant, sive acceptent duellum. Ratio est, quia in tali casu, uti supponitur, acceptatio et oblatio duelli est absolute necessaria, siveque justa et licita defensio famæ, vel honorum fortuæ, et æquivalenter etiam vitæ (juxta dicta n. 43.) contra iniquum aggressorem, puta injuria afficientem; consequenter ad oblationem duelli necessitatem, vel ad duellum provocantem, adeoque verbis aggredientem, etc. Hinc sicut pro necessaria defensione famæ, honorum fortunæ magni momenti, licitum est cum moderamine inculpatae tutelæ iniquum aggressorem occidere, ita etiam licet duellum offerre, et acceptare, in eoque alterum occidere.

32. Nec refert, quod in duello quis se ipsum exponat mortis periculo; quia ad hoc jam patet ex dictis supra n. 21, et 22.

33. Nec videtur hæc doctrina coincidere cum propositione damnata ab Alexandro VII sequentis tenoris: Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Quia aliud est, acceptare duellum præcise ad evitandam timiditatis notam, quod illicitum, et merito condemnatum est; cum hæc nota ordinarie non nisi apud vulgares incurrat, et apud hos etiam facile evitari possit aliqua ex supra dictis responsionibus n. 24. Aliud vero est, illud acceptare ad evitandam timiditatis notam ita circumstantiatam, ut nisi duellum acceptetur, vel offeratur, gravissima jactura temporalis in officio, dignitate, honore, et bonis fortunæ, etc., certo sequatur, uti in casibus nostris n. 29, posit, in quibus proin plane extraordinariis casibus duellum offerri, et acceptari posse, diximus. Et ideo in conclusione n. 22, posita notanter diximus ordinarie loquendo, non esse licitum offerre, vel acceptare duellum. Sed.

34. *Adferuntur duæ aliæ objectiones pro Germaniæ praxi circa duella et solvuntur.* — Urgebis contra hanc ipsam conclusionis n. 23, positam partem: vi statutorum ordinis equestris sancti Jacobi indagatur de candidato, an provocatus ad duellum acceptarit illud, et recusasse compertus, tanquam ignavus et timidus ad ordinem non admititur; ergo etiam ordinarie loquendo, lici-